

tra illum, qui postea apprehendit possessionem; *arg. tit. C. si de momentan. poss.*

8. Momentum attenditur in acquirenda & deferenda successione. Posthumus enim si per momentum tantum vixerit, & spiritum modo ediderit, etiamsi mox in manibus obstetricum decesserit, acquisivit hereditatem paternam, eamque iterum ad matrem, aliosve heredes suos legitimos transmisit *L. 3. C. de Lib. & posth. Carpz. P. 3. C. 17. def. 19. n. 6.*

9. Si filius quasi ex mandato patris mutuam acceperit pecuniam, ad patrem scripserit, ut solvat, pater si non continuo, seu continenti contradixit, obligatur *L. 16. ff. ad SCt. Maced.* Quod tamen Gothofredus *ad d. L.* temperat, ne adimatur patri literas legendi, cogitandi, & consulendi tempus.

10. Momentum attenditur in rescriptis gratiæ, ibi enim illud, quod per momentum saltem prius est, præfertur. *c. si duobus: de Rescript. in 6to & ibi Glossa. Peregrin. de Jur. Fisci l. 6. Tit. 6. num. 35.* Ergo cui prius præbenda vel beneficium collatum, præfertur illi, qui momento post beneficium impetravit. Menoch. *remed. 4. adipisc. possess. n. 797.*

11. Matrimonium si per momentum tantum substiterit, maritus ex statuto dotem lucratur, vel uxor jure prælationis, & aliis uxorum privilegiis, Tiraquell. *ad L. si unquam 8. verb. donatione largitus n. 221. C. de revocand. donat.* Et licet hodie plerumque statuta consensionem thalami requirant, sufficeret tamen, si mox post consensum thalamum moriatur (nam per consensionem thalami non intelligitur copula carnalis.)

12. Præventio jurisdictionis quæritur in momento, si enim Juxta suam citationem per momentum prius insinuaverit, hujus fundata est jurisdictio. *Carpz. lib. 2. Resp. 46. n. 12. & in Proc. Tit. 9. Art. 3. n. 18. seqq.*

MEMBRUM II.

De Horis.

Dies civilis habet horas 24. computatione facta a media nocte, ut hinc quod in his 24. horis factum habeatur perinde, quasi quavis hora lucis factum esset *L. More Rom. 8. ff. de Feriis.* Unde quod in duabus dimidiatis noctibus agitur, perinde habetur, ac si qualibet parte lucis agatur *c. 24. X. de offic. Judic. deleg.* Dies vero naturalis est 12. horarum, a sexta usque ad sextam, & hinc major pars est horarum 7tem, & quidem primarum, non supremarum, cum ibi ad labores aptiores simus. *L. 2. §. 1. ff. de V. S.* Prior vero illa dierum computatio ad id proficit, ut sciam, qua hora quisque testari possit.

In iure quantum ad *prescriptionem*, 1. occurrit exemplum *prescriptionis horariae*, sc. spatium 20. horarum, quousque adulterum deprehensum, privato carcere detinere licet, non ulterius. *L. 25. pr. ff. ad L. Jul. de Adult.* quod extendunt Dd. ad alios quoque casus, ubi privata auctoritate manus alicui injicere licet, sicuti exemplum est in debitore fugitivo. *L. 10. §. 16. ff. que infraud. Cred.*

2. In Saxonia Judicium Bannitorium (*der Achts-Process*) intra 24. horas instituendum. *Carpz. Pr. Crim. Qv. 136. n. 64.*

3. Statuta locorum ut in cambiis intra 24. horas ad executionem procedatur, neglecta appellatione, etiam in Camera attendenda. *R. J. de anno 1654. §. 107.*

4. In Camera si procurator unius partis in causa concluderit, & alter ad proximam petierit dilationem, in proxima juridica non tantum scriptum offerre, sed & eadem hora von *Stund* aut oraliter concludere debet. *R. J. de anno 1517. tit. 5. §. 1. O. C. an. 1523. tit. 7. §. 8.*

5. Hora sententiæ latæ in actis exprimenda. *O. C. p. 2. tit. 31. §. 5.*

MEMBRUM III.

De Diebus.

DE diei computatione actum est membro præced. inter *prescriptiones* vero dierum occurrunt sequentia exempla. 1.